

## TABULA VI.

De

DISTINCTIONIBUS, QUÆ OMNIBUS  
VEL PLURIBUS CAUSARUM GENERIBUS  
COMMUNES SUNT.

**ACTU**, quæ reverà influit esse in effectum. Sicut is, qui legit vel scribit, *actu* lectionis vel scriptio-  
nis causa est. Hæcque *actu* *causa* est absolute & reverà *causa*. Cui etiam respondet, *causatum*,  
*actu*, sive quod abolute & reverà causatur aut causatum est. *Causalitas* *causæ* *actu* *talis* est vel  
*INFLUXUS*, vel alterius ad alterum quicquam conferentis *INTENTIO*. (a)

**POTENTIA**, quæ quidem *actu* non influit, influere tamen potest. Sicut is, qui non legit vel scribit,  
legere vel scribere interim potest, non nisi *potentia* *scriptionis* *causa* est. Et hæc absolute & re-  
verà non est *causa*, potest tamen esse *causa*.

**VERA CAUSA**, quæ verum præstat influxum in effectum, ut futor conficiens calceum, Sartor  
conficiens vestem.

**CAUSA SINE QUÀ NON**, quæ in effectum non influit, nec fortasse influendi vim habet, sine  
eā tamen effectus esse vel fieri nequit. Talis *causa* *sine* *quà* *non* est propinquitas inter agens & pa-  
tiens, ea enim non influit, tamen ignis v. gr. sine eā urere nequit. Duo ergò ad hoc, ut aliquid  
verè sit & dicatur *causa* *sine* *quà* *non* requiruntur. 1. Ut non sit vera *causa*, nec ullum præstet in effec-  
tum producendum influxum. 2. Ut sine illâ tamen effectus fieri vel obtineri non possit. Quemadmodum v. gr. *Remotio valvarum* 1. præstet nullum influxum in illuminationem, hæc enim à  
Sole est; nec tamen 2. sine illâ potest illuminari conclave, idèò rectè dicitur *causa* *sine* *qua* *non*.  
Et plerumque una est hujusmodi conditio, à quâ plures *cause* diversi generis dependent: sicut *sine*  
*quà* *causa* *efficiens* non potest agere, sine eo & *materia* non potest pati. Ita neque sol illuminare,  
conclave, neque conclave illuminari ab ipsô potest, nisi *valva* *antea* fuerint *remota*, neque tamen  
*remotio valvarum* in ullô *causarum* genere illuminationis *causa* est. Sic etiam medium *diuīparū* est  
*causa* *sine* *quà* *non*, sine *quà* nihil visu percipi potest. Posterior particula, sc. *sine* *quà* *non*, habet  
naturam alienantem, ita ut vox *causa* non retineat eandem significationem, quam habet, cum sola  
ponitur. (b)

**CAUSA FORMALITER causans**, quæ est id, quod verè & realiter in aliquo *causarum* genere  
attum causandi exercet. Hoc modò ut aliquid sit causa requiratur, ut ab eo, cuius *causa* dicitur,  
realiter sit distinctum. Quomodo sol luminis in aëre, & caloris in hâc inferiori regione produci  
*causa* est.

**CAUSA VIRTUALITER causans** est id, quod in nullô *causarum* genere verè & realiter causat  
aliquid reapse à se distinctum; quoad nostrum tamen causandi modum habet se instar *causæ* in certô  
genere *causarum*, adeò, ut si ab eo, cuius *causa* dicitur, reapse esset distinctum, reipsâ etiam &  
verè ejus *causa* in illô genere existeret. Sic docent D E U M idèò esse æternum, quod sit immuta-  
bilis, & quantitatem idèò divisibilem, quod sit extensa. Sed neque DEI immutabilitas ab ejus  
æternitate, neque extensio Quantitatis ab ejus divisibilitate realiter differt. Quocircà neutra al-  
terius *causa* formaliter sive verè & realiter causans est. Est tamen utraque instar *causæ*, adeoque  
ratio à priori, sive *causa* virtualiter causans, quia quærenti quare, D E U S sit æternus, & quan-  
titas divisibilis, satisfit, si responderetur, quia immutabilis est ille, & hæc divisibilis.

**REMOTA**, inter quam & effectum intercedit alia *causa* ejusdem generis. (γ)

**IN CERTO GENERE** tantum, inter quam & effectum non intercedit alia  
*causa* ejusdem generis.

**PROXIMA**, inter  
quam & effectum  
nulla alia *causa* e-  
jusdem generis in-  
tercedit. Estque  
vel proxima  
**SIMPLICITER**, quæ satisfacit questioni propter quid. Unde & ab Aristotele appellatur l. I. Post. c. II. *causa* propter quam. v. gr. Proficiscitur studiosus  
Wittebergam, ut ibidem literis velit dare operam; *causa* *efficiens* *remota* est anima, *proxima* sunt pedes, sed non *simpliciter proxima*; quia non satis-  
facit questioni propter quid. Interrogatus enim Studiosus, quare Wittebergam eat, si responderet propterea, quod pedes habeat; questioni non sa-  
tisfaceret, imò vel risum vel indignationem quærenti moveret. Si verò  
responderet, eam ob causam se iter facere, ut ibi studiis suis vacare velit, sa-  
tisfacit quærenti, unde hæc est *causa proxima simpliciter*.